



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallelia Geographiae Veteris Et Novae**

Parallelia Geographica Italiae Veteris Et Novae

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 4. Mores recentes Siculorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13120**

videbimus in Admirandis. Vbiue bombyces facilè aluntur, qua-  
re hinc serici copia ingens effertur.

Sal non tantum ad littus hic congelatur, sed ad Ennam fossile exscinditur. Hinc quoque vinum copiosum & multiplex educitur; olei amphoræ propè infinitæ; mel exquisitissimum, quod olim Hyblæum, & magni nominis. Balneis quoque calidis abundat in plerisque locis. Vriuersa ora piscibus scatet; sed inter cæteros ma-  
gni sunt anguillæ quæ capiuntur ad Pharum. In oram Borealem se thynnii immittunt, & pescationem hic efficiunt luculentam. Ca-  
pitur hic quoque piscis Xiphias dictus, quem nos Imperatorem appellamus, saporis exquisitissimi. Metallica habet auri, argenti, ferri, aluminis, sulphuris, atramenti futorij, & nitri, quod hic acerrimum & optimum.

#### N V M. 4. *Mores recentes Siculorum.*

DISERTI sunt omnes Siculi, faceti, callidi, sed iniuriæ supra modum impatientes, & irritati non facilè placari possunt, atque sibi illatum dedecus seriùs aut oxyùs vlciscuntur.

Libertatis peramantes sunt, neque *privilegia* sua, ut vocant fa-  
cilè tolli, aut imminui sinunt.

Messanæ multi ludi Equestres celebrantur, Equites autem, vul-  
gò Stellæ dicti, Epiphaniorum diem magna celebritate, & pompâ transfigunt.

Olim sponsus & sponsa non copulabantur matrimonio, nisi alter illorum morti proximus esset, verùm id Ecclesiæ legibus seuerissimis hodie vetitum est.

Olim quoque mortuis Regibus omnes atrati procedebant in pu-  
blicum diebus tribus, mulieres passis crinibus, & sacco amictæ cla-  
moribus inconditis lymphaticæ per urbes discurrebant; sed hæc quoque consuetudo euanuit.

#### N V M. 5. *Merces Siciliae.*

FRVMENTA hinc plurima efferuntur. Serici ex bombycibus, ab ynâ vrbe Messanâ quotannis educuntur, supra septingentas sarcinae, 700. Balles de soye. Certè nundinæ Messanenses dicuntur af-  
ferre Siculis ex serico, & arte factis solidum auri millionem. Ac-

III iiii iii